



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Liber De Prvdentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús Maria>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. XIX. Hortatur ad odium parentum, & consanguineorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

faurizate potius vobis thesauros in  
cælo, vbi semper victuri estis, & mise-  
ricordis pauperum mihi Deo vestro  
fæneramini. Certè, semitæ omnis aua-  
ri animas perfidentium rapiunt, vt in  
terra deserta, inuia, & in aquosa, longè  
à salute mea, longo exilio demoren-  
tur. Deponite iam pondus terræ, qua  
grauamini: relinquitè omnia, vt me,  
qui non habui inter vos, vbi caput re-  
clinarem, sine onere sequi valeatis.  
Quomodo enim me expeditum, &  
currentem sequi poteritis onerati? Be-  
nè dixit Petrus fidiſſimus seruus meus:  
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti  
sumus te; neque enim exultasset me-  
cum ad currendam viam, nisi pondus  
tantum abiecisset. Hoc ergo facite, &  
viuetis.

## CAP. XIX.

*Hortatur ad odiuam parentum,  
& consanguineorum.*

**S**PIRITVS est, qui viuificat: caro  
autem non prodest quicquam. Im-  
mo, non solum non prodest caro,  
sed vehementer nocet. Ideò fideles a-  
mici

miei mei, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, ne fortè in vanum currerèt, aut cucurrissent, iuxta consilium meum, omnè carnalè propinquitatem oderunt, & quasi spiritus mei venenum euitarunt. Ex hoc numero fuit ille, qui lætabatur canens: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me; Non est inutilis commutatio, pro parentibus, qui ad seruitutem, & mortem generāt, à dulcissimo Patre meo, inter filios Sion inclytos, & amictos auro primo, amantissimè adoptari, & ad hæreditatè æternam ius habere. Sed mandus hanc adoptionem non cognouit, & mortiferis consilijs, quos Pater meus in suam adoptionem vocat, naturalis legis colore, & alijs æquitatis apparentis vmbri seducit. Quid est hoc? Ego qui à purissima genitrice mea nihil damni spiritualis pati poteram, vbi salutis vestrę causam agebam, quasi alienam non cognoui: & serui mei, à contagio carnis impuræ non timebūt. Sinite mortuos sepelire mortuos suos:  
& in

& in æternæ salutis ingressu, vel progressu carnalium parentum blandimēta, consiliaque vitate. Et ego suscipiam vos, quasi fidelissimos amicos, & suauissimos fratres meos. Pater meus, pater vester erit, & erit mater vestra, mitissima Virgo, quæ genuit me.

## CAP XX.

*Hortatur ad mortificationem sensuum.*

**A**TTENDITE filij, quæ dico. Sensus, & cogitatio hominum prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Propterea, necesse est, vt mortificationem meam, in corpore vestro, semper circumferatis: Equus enim effrænis in abundantia virium suarum non saluabitur. Castigate sensus vestros, quasi iuenculos indomitos, ne forte legem mentis transgrediamini. Nec durum vobis videatur oculos cohibere, ne mors intret per fenestras, & osium circumstantiæ ponere labijs vestris, ne verbis indisciplinatis me offendantis: placebitis enim mihi valde, & pro visus mortificatione, videbitis lucem